

I
T plerumq; quod e; a; rursum
gant; mente; a; t; e; a; f; i; p; i; a; s; t; e; a; i;
lat; q; u; i; a; q; u; l; a; u; e; n; c; e; r; a; u; m; p;
p; e; n; s; o; t; e; a; s; e; d; i; m; u; l; l; u; n; i; c; e; a; d; i; l; i; n; u;
m; y; f; i; t; e; n; u; n; c; a; t; a; m; m; o; n; i; s; d; o; m; m; a; c; e;
-
u; e; p; o; m; u; n; d; h; u; u; s; a; c; h; o; n; b; d; e; d; i; n; u;
a; l; u; i; f; u; m; e; n; t; u; l; l; a; b; o; t; t; e; t; e; n; o; a; l; u; i;
l; a; t; u; m; l; u; c; t; i; n; h; a; t; a; t; e; .
C; u; a; e; n; u; m;
t; o; n; e; u; e; t; o; t; e; e; a; c; t; o; n; i; u; e; r; i; e; t; e;
u; n; m; o; d; e; t; a; n; e; n; c; i; m; b; e; r; e; .
n; r; e; c; e; p; e; n; s; e; .
-
n; e; f; i; a; l; .
L; u; n; l; l; a; t; e; e; l; .
n; r; e; c; e; p; e; n; s; e; .
-
V; u; d; e; d; i; c; t; u; t; y; A; t; u; m; e; c; l; e; c; e; r; e; s; a; b; e; c;
d; e; l; e; g; a; t; o; t; r; e; a; n; m; a; l; l; p; a; t; t; a; p; o; /
f; e; r; i; t; i; s; p; e; n; m; e; n; t; e; n; u; n; a; e; a; d; e; m; u; n; d; e;
-
l; a; t; t; u; i; a; c; h; i; f; f; e; n; t; a; t; i; o; n; e; h; u; u; s; p; r; e;

F E I S M U T S E I E R S F E P P

CONTINENTUR HIC VOLUMINI
DUXCANI INDEX! SCOTI

Disputationes,

Theses Logicae.

Propositivas Astronomicae de Dierum et Annorum differentiis
De facultate vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In IV. Meteororum de Misericordia e Disp. I.

In V. Meteororum de Concordia . . . Disp. II.

Disp. Pathologiarum, I. de Morbis.

II de Cisis Morborum in gre.

V.

VI.

IX.

Disp. posterior de Praesagijs

De Peste disp. prior.

De Natura et Facultatibus medicamentorum.

De Compositione et Preparatione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib; Scarificatione

De Febris Naturae e disp. I.

De Febris

De Fibribus

II.

III.

12.

DISPVVTATIO POSTERIOR,
DE
P R A E S A G I I S,
CONTINENS DOCTRINAM
DE MODO ET TEMPORE SALVTIS
& mortis in ægris,

Ad quam

D. A. G.

S V B P R A E S I D I O D V N C A N I
LIDDELII, PHILOSOPHIAE ET MED-
CINÆ DOCTORIS, ET IN ILLVSTRI IVLIA
Professoris publici, in auditorio maiori
publicè respondebit die xix.

Iulij,

*GVLIELMVS GROSS,
VVratislaviensis Silesius.*



HELMAESTADII
Ex officina Typographica hæredum Iacobi LVCIL
ANNO M. D. XCVIII,

MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, ET AMPLISSI-
MIS VIRIS, DOMINO PRAE FECTO,
cæterisq; celeberrimæ Reipub. VVratislau-
ensis Senatoribus, Dominis & Mecænatibus
meis perpetuò colendis.

Vffragijs literatorum omnium con-
stat, idq; illustrant exempla virorum eruditione
multijuga præcellentium, ingenium, ferri instar,
quò crebrius exerceatur, cò plus nitoris ac
splendoris assumere, adq; scientiarum sublimiorum cultu-
ram habilius, & magis idoneum effici. Ut plures etenim,
ingenij natura obtusioris videoas, qui valedicere ob infeli-
citatem illam Musis, apud se decernunt, dum excitantur
vel monitis, vel exemplis aliorum, vbi rem aggrediuntur
de nouo, ac crebris animi indulgent exercitationibus, id
non sine ingenti felicitate prestante, vt non tantum æquent,
sed & præcellant ingenia acutissima, eoq; partim legendo
multa, partim verò & præcipuè disputando, conferendoq;
cum viris doctis perueniunt. Exinde cum obscurum ne-
mini sit, tantum in exercitijs disputationum esse situm, me
verò non effugiat, viri Magnifici, Nobilissimi, & Amplis-
simi, vobis, quibus curæ cordiq; patria est, qui bonis ma-
xime consultum cupitis, qui saluti fortunisq; communis
succurritis, posteritatiq; & gloriæ seriò seruitis, vobis
inquam, auditu cognituq; acceptius esse nihil, quam si ci-
ues vestros omni disciplinarum honestarum genere animos
suos excolere perspiciatis, & cum fructu studijs impendere
tem-

tempus ita animaduertatis, vt olim in patriæ emolumen-
tum isthæc cedant, illaq; lætari de hisce possit, officij mei
ratio omnino exigere videtur, vt aliqualem tantum pro in-
genij mei modulo, Mag. Nob. & Amplitudini vestræ ex-
spectationem de me relinquam. Cum autem non minori-
bus ego quam & alij complures, qui studijs honestis sedulò
operam nauarunt, quique magno cum suo commodo
singularem animi vestri erga semet senserunt beneuo-
lentiam à vobis affectus sim beneficijs, horum neutquam
immemor, symbolum aliquod solummodo grati animi vo-
bis exhibere placuit, & præsentem hanc vt difficillimam
ita longè utilissimam disputationem, nomini vestro inscri-
bere ac consecrare destinaui. Quo specimine exiguo,
quamuis egregijs vestris de me meritis, nullo pacto queam
satisfacere, tamen, qua par est vos Mag. Nob. & Ampliss.
viros, obseruantia oro, vt illud fronte serena accipere, &
non ex vestra vel sua dignitate metimini, sed offerentis a-
nimo æstimare dignemini, meq; ex his intelligatis culto-
ribus, qui Dijs lacte & mola tantum falsa litant, non ha-
bentes thura. Quod restat Deum Opt. Max. precor, vt vos
omnes, Patronos meos, lucis huius usura diuturna donare
velit, vos etiam vestraq; consilia suo gubernare spiritu di-
gnetur, vt in vobis Ecclesia & Respub. egregiū semper, pa-
ratumq; præsidium habeat. Valete Patriæ Patres, studio-
rum Promotores munificentissimi, meq; vestro fauore vti
haec tenus, ita in posterum prosequi non desistatis. In Alma
IVLIA die xv. Iulij, Anno M. D. IIC.

V. Mag. Nob. & Amplitud.

obseruantissimus

Gulielmus Groß VVratislauensis
Silesius.

A 2

Hexa-

HEXASTICHON.

Q Vis modus, & quæ Lux sit decretoria Morbi,
Quæ sit in Euentus cura locanda fide?
Hoc opus, hic labor est Medicis edicere! verùm
Asclepi hoc tentat, nec male tentat, ope
Eiusdem Pullus G V I L I E L M V S, nomine M A G N V S;
Qui sic si perget, Re quoq; Magnus erit.

Sal. Frenzelius Ben. ergò scr. IIX. Eid. Quintil. An. sal. M. D. XCVIII.

VVILHELMVS GROSSIVS

avazepa.

SI LVSVS! HVI MORS LVGE.

M AGN V S es ætatis primo sub flore, vbi lustra
Quattuor annorum vix peragrata tibi.
At postquam firmata V I R V M te fecerit ætas,
C E N T I M A N V S fies arte manuq; G I G A S.
Sidere te irradiet modo læto Phœbus Apollo,
Sic quæ magna alijs post tibi lusus erunt.
Quid? S i L v s v s ! H v i M o r s L v g e , hic victor abibit,
Iure V O L E N S C L Y P E V S M A G N V S & omen habet.
Augurium ô felix ! magnarum accessio rerum
Te V V I L H E L M E manet, nec mora longa manet.
Omnia nominibus subsunt, non omnia vati
Falsa suo vatuum suggerit ipse pater.

*M. Michaël Neostephanus Rosio-
chiensis. autoged.*



Disputatio posterior de præfigijs continens do-
ctrinam de modo & tempore salutis & mortis
in ægris.

I.

DE Signis prognosticis deg̃ euentu morbi ad salu-
rem vel mortem, priori disputatione dictum fuit:
consequens est, ut de modo & tempore illius e-
uentus nunc agamus. Ac primum modus euentus
in morbis est subito vel paulatim: Paulatim mor-
bi salutares alteratione aut concoctione soluun-
zur; lethales consumptio, calorisq; nativi extinctione sensim ad
mortem tendunt.

2. Subitus vero euentus, vel cum pugna naturæ & morbi est, &
materie morbificæ secretione, vel sine pugna: Subita mutatio
quæ cum pugna, siue salutaris siue perniciosa, crisis communiter vo-
catur: subita vero mutatio sine pugna, oritur, quia natura re-
pugnare nequit, sed planè succumbit, unde non crisis, sed subitus
interitus dicitur. Talis accidit non raro in principijs accessionum
ex magnis inflammationibus, quæ partes principales occuparunt,
vel ob humorum crassitudinem, tenacitatem, & copiam intrò con-
fluentium, à quibus meatus spirituum obstruuntur, & calor natio-
ralis non aliter suffocatur, quam flamma injecto aceruo viridium
lignorum. Deinde euenit aliquando in morbi vigore, natura oppres-
sa à morbo: Tertiò in declinatione, idq; particularium accessionum
sanctum, ex soluto vitali robore; non autem in declinatione uniuer-
sali, ut post apparebit.

3. Crisis Vocabulum, aliqui δρός έγριεν vel ἐκχρινεν scilicet se-
cretione vel excretione deducunt: nam in omni crisi humorum se-
cretio requiritur, in perfecta crisi excretio. Galenus 3. de crisibus c. De crisi-
bus.

A 3

2. non

2. non à medicis sed à plebejis primum inuenium esse dicit & 3.
prognost. à foro translatum, (ubi reus ab auctore in iudicium rapuis
se defendit, omniumq; sententijs absoluuntur, vel in defensione suc-
cumbit & damnatur) ad medicam considerationem in lucta morbi
& naturæ, unde pleriq; crisi non ineptè iudicium versunt, licet
nonnulli certamen malint. Nam ut in foro pronunciata sententia
cessat alteratio, ita in crisi post separationem & excretionem cessat
pugna & certamen, soluiturq; mordus.

4. Sumitur nomen crisis ab Hippocrate & Galen. pluribus mo-
dis: nam interdum pro qua uis morbi mutatione, aliquando pro qua-
uis morbi solutione accipitur, saepè pro perturbatione & agitatione
quæ subitam morbi mutationem praecedit: propriè pro subita muta-
tione in morbis ad salutem vel mortem, cum pugna & perturbati-
one. Mutatio autem illa quadruplex est, vel immediatè ad salutem,
vel immediatè ad mortem, vel ad statum meliorem vel ad statum
deteriorem; quare crisis quadruplex erit, verum illa per excellenti-
am absoluti & sine adiectione, aliquando optima crisis, & crisis
propriissimè dicitur, quæ ad salutem ducit: quæ vero ad mortem, cri-
sis simpliciter mala, reliquæ duæ crises imperfectæ, sed quæ ad sta-
tum meliorem. crisis bona imperfecta quæ ad deteriorem, crisis ma-
la imperfecta. Quare in morbis septem mutationes eueniunt, tres
ad salutem, quatuor ad mortem. Gal. 3. de crisib. c. 7.

5. Absoluta crisis, norma caterarum, propriè definitur, subita
mutatio ad salutem cum pugna & perturbatione, facta die critico
bono in statu, à naturali virtute, uniuersam materiam morbificam
vincente, expellente, aut transferente.

6. Requiruntur in optima crisi quinq; 1. ut sit perfecta & salu-
taris, deinde, ut fida, 3. ut ruta, 4. ut subita excretione potius quam
translatione fiat. 5. ut prius indicata sit, & die decretorio bono eue-
niat. Salutaris autem crisis dicitur, quæ agrum à morbo planè libe-
rat: Fida dicitur, quando certa salus succedit, & nihil cause mor-
bifica relinquitur, unde recidua, sed totam materiam vincat, ex-
pellat

pellat aut transferat: Tuta vocatur, ubi omni periculo caret; nam accidit quandoq; ut crisis ad salutem terminetur, cum tamen ob grauias symptomata, periculosa minusq; tuta iudicetur. Verum symptomata illa signi ratione tantū habent, & perturbatione faciunt.

7. Nam duplicita sunt signa quæ à Gal. critica dicuntur, alia tantum signa à quibus perturbatione accedit; alia simul cause & signa, scilicet, materia expulsio aut translatio; præcedit semper perturbatione ex lucta naturæ & morbi subsequitur expulsio & translatio. Signa tantum sunt, deliria, graues somni, difficultates anhelitus, vertigo, dolor capitis, colli, stomachi, & similiū, vehemens rigor, vani splendores ante oculos, tinnitus aurium, astus, fritis, urinæ retentio &c. Signa simul & causa sunt, repentinae in morbis expulsiones, aut translationes, qua perturbationi succedunt, scilicet subita copiosaq; ventris solutio, urinæ excretio, copiosus sudor, sanguinis profluum, parotides, defluxus, & similia. Adduntur his, signa consequentia crisi, de quibus infra.

8. Causa efficiens crisis est natura, quæ cum morbo pugnat. Vocabulo quidem naturæ intelliguntur omnes vires, quibus animal regitur: verum cum expulsio translatioq; materia peccantis, naturali facultati porriè tribuatur, erit naturalis facultas proxima & immediata causa crisis. Utitur autem naturalis vis in morbo omnibus quatuor facultatibus, sed in crisi primario expultrice, deinde concoctrice. Proinde principalis causa crisis erit natura, quatenus munus expellendi exercet. Verum hoc suum munus natura oportune exercere nequit, nisi materia cocta aut superata sit, quare optima crisis in fine vigoris quando concoctio viget; quæ vero vigoris tempus magis anteuertit eò semper deterior erit, nam à morbo non perfectè liberat. Crisis ad mortem, summum vigorem nunquam superat, ac plerumq; in augmento contingit.

9. Ex pugna naturæ & morbi sequitur materia morbificæ excretionis vel translatio, unde crisis duplex: alia excretione sive euacuatione extra corpus, alia translatione sive transmissione à parte affe-

cta ad

Eta ad partem debiliorem & ignobiliorem. Excretio semper manifesta est, nisi in pueris, in quibus aliquando per longos somnos materia concoquitur & dissoluitur, ac per insensibilem euacuationem dissipatur: semper autem excretio materiae morbifica si perfecta, optima est, & melior quam translatio.

10. In excretione & translatione obseruare oportet, qua, qualia, quanta, qua via & modo humores excent, & an morbo & naturae conueniant: nam si materiae morbifica excernatur, soluitur morbus, sin aliud, non item. Deinde, ubi parum excernitur, recidua metuenda est, ubi nimium viribus metuendum: præterea, quo qualitas perniciosa, eò periculoso rem minusq; bonam crisi arguit. Tandem modus excretionis & natura, morbo partiq; affecta congruere debet: semperq; locus unde bona excretio, è directo partis affecta esse oportet, tempus excretionis post concoctiones die bono critico, ut infra apparebit. Translatione materiae morbifica ad partes debiliores & exteriore possum, morbi iudicantur, verum agri non absolute sed quasi novo interueniente morbo, liberantur, quare translatione, crisis propriissimè dicta, non fit. Soluit translatione perfectè morbū, si oportuno tempore & loco, ac debita quantitate à natura fiat, & materia omni malignitate careat, ut latius infra dicemus.

11. In pugna naturae & morbi virtus bellica conspicitur. Ut enim prudens imperator in pugnam sponte non descendit, nisi oblata occasione, ita natura, nisi violenter cogatur quocunq; morbi tempore non aggreditur morbū, nec ad expulsionem causæ morbificæ statim properat, sed expectata tantum concoctione, quæ pro conditione humoris peccantis, constitutione corporum &c. citius & tardius fit, unde morbi alij citius alij tardius iudicantur.

12. Verum non quouis die crises bona incident, sed certis tantum, ut longa experientia docuit, in quibus septenarij & quaternarij ordo possum obseruari, quo determinato motu natura munia sua exsequitur: nam natura septenario numero gaudet, & septimo mense fatus vitales edat, septimo aetas anno dentes generaverit, decimo quarto menses possum erumpere &c. Dierum

De diebus
criticis.

13. Dierum criticorum non eadem dignitas aut vis, verum illi optimi estimantur, quibus plurimæ crises optima incident, nimirum, perfectæ, fidae, tute, antea indicatae, cum subita excretione potius quam abscessu. Deinde, qui non adeò magnum apparatus in corpore requirunt, id est, non magnum robur virium, & omnia adeò expedita, talis intra 20. diem, primum est dies 7. deinde 14. hinc. 9. 11. mox 17. 3. 5. 4. tandem 18. E conuersò, intra vicesimum diem, periculosisimus & naturæ maximè contrarius est. 6, qui à Galeno tyranno comparatur, quod vel interficiat vel difficilimas crises faciat, licet nonnulli criticum esse censeant in morbis sanguineis, hinc sequitur 8. & 10. deinde 12. 16. 19. At 13. & 15. indifferens est nec planè bonus, nec omnino malus.

14. Post 20. diem, ad 40. quia crises de vehementia sua plurimum remittunt, rariusq; incident, aut imperfectæ sunt, pauciores dies critici numerantur, in quo ordine primus est 27. 34. & 40. hinc 21. 24. 31. 37. Post quadragesimum verò, quia morbi absoluta crisi non terminantur sed abscessibus vel simplici solutione, dies omnes medios ad 60. usq; Hippocrates neglexit: huic 80. subiungit, deinde 100. 120. post hos, alios morbos septem mensibus, alios septem annis iudicari, eandemq; in mensibus quam in annis rationem Galenus statuit.

15. Verum ut bonus imperator, pugnaturus cum hoste, primò diem pugnae præfinit, quo omnes auxiliariæ copiæ coëant, deinde, arrepta occasione, datoq; signo milites ad pugnam vocat, hostemq; subito opprimit: ita natura ante pugnam diem crisis præfigit, certamq; futurae crisis notam ostendit, quo Medicus omnibus auxiliarijs copijs die critico accurrat, & naturæ laboranti, quantum fieri queat, subueniat.

16. Dies illi indices & contemplatori vocantur, quia in ijs contemplari & præuidere possumus, quæ futura sunt, sequenti die critico. Nā dies indices propriè sunt, qui vim habent peculiare denunciandi crisis aut motum aliquem criticum, sequenti die critico: Habent enim di-

... D I E D E F E R T I A D E C I M A
nim dies critici suos indices antecedentes, sed critici integris se-
ptimanis magis definiuntur, indices, medijs septimanis, nam cuili-
bet septimana duo quaternarij tribuuntur, ita rāmen, ut 8. dies i-
nitium sit tertij quaternarij sive secundæ septimanae, 14. dies, finis
secundæ septimanae, initium tertiae septimanae, 20. finis tertiae, 21.
initium quartæ &c. ac quaternarius primus cuiusq; septimanae sit
semper index septimanae.

17. Quare quartus dies index est septimi, 11. decimi quarti;
17. index vigesimi. vigesimus quartus, index vigesimi septimi &c.
Attamen indices non raro critici sunt, veluti, in exquisitè pera-
cutis affectibus, quartus interdum criticus est; sepius 3. vel 5. item.
11. die vi dictum est, non pauci indicantur; quare tam indices
quam critici communi nomine critici dicuntur; nam indices critici
esse possunt, & critici indices. Præterea, dies intermedij qui inter-
cidentes vocantur, scilicet sextus. 8. 10. 12. &c: aliquando indicant,
sed rarissime, quia ob violentiā aut errore aliquem natura cogitur
inordinatè mouere, unde dies Prouocatorij vocantur, maliq; critici.
18. Ratio numerandi dies criticos iuxta Galenum est, ut proces-
sus per septimanas fiat; sed non vulgari modo, nam prima & secun-
da septimana, à novo principio incipit, tercia, ab ultimo die secun-
dæ septimanae; ita ultimus dies tertiae septimanae, scilicet 20. propriè
criticus est, & magis quam 21. ut Galenus experientia & ratione
ostendere conatur.

19. Nam in confesso est, eum diem magis criticum esse, quo na-
tura aprior est ad pugnam, talem esse vicesimum magis quam vige-
simum primum experientia constat: Deinde ratio numerandi, du-
cta est à mense medico, sive critico, qui auctore Galeno, componitur
ex mense periodico 27. dierum. 8. horarum: & synodico 29. die-
rum. 12. horarum: utriusq; dimidium, scilicet 26. dies, 22. hora, à
Galo mensis medicus, & Criticus vocatur, eiusq; pars quaria, 6.
dies, 17. hora cum semisse, prima septimana critica: eiusdem semis-
sis, scilicet, tredecim dies, 11. hora, septimana secunda: tres quartæ,
id est,

id est, dies 20. hora 4. cum semisse, septima tercia; qui numerus horarum magis 20. quam 21. congruit: igitur 20. magis criticus erit. Hunc mensi medico, adiungit Galenus mensem apparitionis, quem constare putat 26. diebus, 12. horis, subtractis tribus diebus à mense synodico.

20. Verum mensis ille medicus Galeni, commentarius planè videatur: deinde, mensis apparitionis, nunc maior, nunc minor est: præterea, quaratione. 20. dies magis criticus est quam 21. eadem 13. magis quodammodo erit, quam 14. Nihilominus dierum criticorum constans & ordinata ratio, à cœlestibus revolutionibus dependere videtur, licet ipsa crisis à natura immediatè fiat, que motum cœlestium, quantum fieri queat imitatur, & à cœlestibus dirigitur: Nam constans vicissitudo & mutationis ordo, in omnibus corporibus sublunaribus, aliunde non dependet quam à constanti vicissitudine cœlestium motuum: talis authore Galeno, in morbis primario est motus Luna & Solis. Deinde, ceterarum stellarum: breves enim morbi teste Galen. 3. de diebus decret. motu Luna reguntur, longi motu Solis. Deinde, alienum à ratione non est, in morbis acutis dies criticos à mense Luna periodico dependere. Nam experientia constat & Astrologi testantur, Lunam motu proprio insigne quasdam mutationes excitare, in ijs locis Zodiaci, que locum, in quo Luna fuit, initio morbi, quadrato & opposito radio intuentur.

21. Est autem mensis mediis periodicus, 27. dierum 7. horarum, 27 minutorum; quarta sive prima septimana, 6. dierum 19. horarum, 55. minutorum: secunda septimana, 13. dierum, 15. horarum, 51. minutorum: tercia septimana, 20. dierum, 11. horarum, 45. minutorum. Hoc modo 14. dies magis criticus erit, quam 13. Sed 21. penè tam criticus, quam 20. Verum apparet motus Luna, nunc tardior, nunc velocior est, unde credibile non est, crises statim temporis interallo, aut præciso horarum numero, accidere sed lata determinatione, die 7. 14. 20. ut ipse Hipp: 7. Epidem: innuere videtur, ubi dierum numero præpositionem circa addit scilicet circa 20. circa 40. &c.

22. Fit quidem crisis ut supra dictum est immediatè à naturali facultate, sed tempus crisis dupliciter variatur: Primo à causis superioribus, deinde inferioribus; Causæ inferiores præcipue sunt facultatis robur & imbecillitas; deinde materia aptitudo vel incipitudo ad motum. Nam pituita, singulis diebus, bilis tertio die, melancholia quarto die mouetur. Semper autem quo virtus validior & materia morbifica melius disposita est ad motum, eò promptius mouetur. Superiores causæ ut iam dictum est, sunt motus & positus cœlestium corporum, præcipue Lunæ in morbis acutis: quare constans vicissitudo & ordinata ratio dicrum criticorum à Lunæ motis proprio dependet. Verum crisis una aut altera hora nunquam incipit & desinit, raro uno eodemq; die, interdum ad plures dies extenditur: quare satis videtur diem 20. aut 40. criticum vocare, quia circa 20. aut 40. incidit, aut quia perturbatio 20. incidit, crisis vero 21. desinit: nam tota duratio perturbationis pugna, & excretionis tempus, crisis plerumq; dicitur.

23. Aliqui tamen his causis rejectis ad numeri dignitatem confluunt, cuius per se nulla est efficacia: Quidam ad sympathian naturæ nostræ, cum quaternario & septenario numero, quæ occulta est: nonnulli ad institutionem Dei in creatione mundi, septimi diei benedictionem, quem tamen propter lapsum primorum parentum non totum benedictum, sed ultima sui parte maledictum esse arbitrantur: sed ita septimana illa Galeni non constabit, nec 20. dies criticus erit, nam in sacris vespera & mane est dies unus, & initium diei semper ab occasu: at incipiendo ab occasu completur septimana illa Galeni, ex 6. diebus, 17. horis cum dimidia paulò ante meridiem, maledictio vero incidit die inclinante, quare hac ratio non congruit.

24. Francastorius humoris melancholico tribuit vim criticam, quia omnium ultimo mouetur, ac propriè quarto quouis die, cum tamen multis morbis crises debeantur, quorum materia extra venas est, & cum melancholia cognationem nullam habent. Deinde ne-
cessit

cessē non est, uno humore putrescente, ceteros labem contrahere; nec si melancholia ex alijs labem contrahit, vim habere significandi stabilitatem, aut instabilitatem. Nam vis critica, diebus aut numero dierum non tribuitur, sed tantum significatio stabilitatis, aut instabilitatis, an secundum naturam, an præter naturam eueniant. Auerrhoës arbitratur, totam hanc dierum criticorum rationem dependere à proportione naturæ agentis & morbi resistentis: verum, cum proportio illa varia sit, inde certa numerandi ratio, sumi nequit; nec sciri poterit, cur crisis septimo die melior & tunc sit quād 6. aut 8.

25. In morbis continuis dies tantum numerantur, in intermittentibus, pro diebus numerus accessionum: ut enim tertiana continua, septimum diem criticum habet, ita tertiana intermittens tertium circuitum. Initium numerationis fieri debet ab eo die in quo actio ægri manifestè lœsa conspicitur illius morbi ratione: Verum in puerperijs, si non longè à partu febris oriatur, dies computamus à doloribus partus, quod hinc morbos oriri existimemus; sed si longè post partum febris oboriatur, alia causa euenisse credendum est, & tum à manifesta actionis lœsione illius morbi ratione, numeratio auspicanda erit. In complexis morbis uniuscuiusq; ratio seorsim habenda.

26. His præmissis superest, ut in omnibus morbis modum tempusq; euentus præcognoscamus. Primum autem morbi euentus, an subito an paulatim, ex morbi magnitudine potissimum estimatur, facta computatione cum viribus: sicut tempus illius euentus, an ci-
rò an tardè &c: ex motu præcipue colligitur: Verum sub magnitu-
dine comprehendenda sunt species & mos morbi, & ut certior fiat
coniectura, coniungendus est morbus morbi, siue tempus status. Vi-
cissim, ut tempus euentus melius estimetur, motui adiungenda e-
rit magnitudo morbi, & quæcumq; morbum accelerant, vel tar-
dant, ut sunt, natura, ætas, tempus anni, regio, &c: Nam adiu-
uant morbi brevitatem vehementia morbi, virium robur, ætas in-
uenilis,

uenilis, regio, tempus & causæ calidae: tarditatem verò contraria.

27. Semper autem morbi acuti, id est magni & celeres, qui ex calido humore gignuntur, aut subito cum pugna ad salutem vel mortem terminantur; aut subito sine pugna ad mortem: nemo enim subito sine crisi mortem unquam evasit: Cum pugna quidem, quando natura non tantum resistit, sed subito ad morbum & morbificam causam expellendam insurgit: sine pugna verò ad mortem, quando natura subito prosternitur ut supra dictum est.

28. Ex magnitudine morbi crisis potissimum estimatur, an verò ad salutem vel mortem, ex viribus ægri, facta comparatione cum violentia morbi, ut in superiori disputatione dictum est. Verum mors cum crisi postulat quidem vires debiliores morbo, sed non omnino debiles, alioqui non tentarent pugnam, sed mors sine pugna evaniret: Tempus verò crisis ex motu morbi, siue tempore status potissimum dijudicatur. Cæteri morbi, qui magnissimul & celeris motus, non sunt, nec materiam morbificam habent, sensim ad salutem vel mortem tendunt: salutares quidem, qui ex materia, concoctione; cæteri alteratione potissimum: lethales verò consumptio, & caloris nativitatem extinctione. Nam morbus lethalis cum validus est & celer, hominem repente necare solet, cum nec vehemens nec celer, paulatim tantum. Contrà in minimè lethabilis. Natura valida, hominem subito sanare solet, imbecilla non nisi paulatim, alioqui si cogatur ad pugnam, in ipsa pugna deficit.

29. Semper autem, si ea quæ primum ferocia erant, deinde mitigescant, non terminabitur morbus crisi, sed simplici solutione. Considerantur in crisi ut in ceteris solutionibus tria. 1. Qualis sit futura, an ad salutem vel mortem, & si ad salutem, an fida, ruta, & omnes conditiones bona crisis habeat: Deinde, quomodo sit futura, an per excretionem, vel translationem, & qua via: 3. quo tempore sit futura: cum tempore crisis & solutionis morbi coincidit tempus salutis & mortis.

30. Ac primum qualis sit futura crisis an ad salutem & mortem, ex

sem, ex superiori disputatione constat, scilicet, facta comparatione virium morbi & naturae, quibus adiungenda sunt signa concoctionis & cruditatis in urinis potissimum, item consideratio temporis status partis affectae, naturae, etatis; & similium. Semper autem instantis bona criseos signum est concoctionis, potissimum in urinis; male & infide, cruditas. Deinde optima crisis in statu continet ut alibi dictum est. Nam statu elapso, nemo vi morbi perire, sed vel errore, vel vi alterius morbi: præterea, in statu facta concoctionis, etiam si natura à nullo alio irritetur, ad pugnam se accingit, mala igitur crisis est, quæ ante statum euenit sine signis concoctionis, quia sit viribus irritatis morbi magnitudine, aut celeritate.

31. In omnibus morbis, quando vires ægri robustæ sunt, & materiae dominantur, proprijs statisq; legibus pugnant, & determinatos motus faciunt; at ubi succumbunt, non per se, sed morbi prorizatione agunt, & incerta ratione ac ordine mouentur, ut vix praesciri queat quæ sit mortis ratio; nihilominus ubi vires in morbis lethaliis ad pugnam insurgunt, irritata morbi violentia & celeritate, sive ex stimulata ad expulsionem rei grauiter infestantis, statim in ipsa pugna deficiunt, & mors in crisi erit: Vbi vero subito vires opprimuntur, mors subito sine crisi tribus modis accidere potest, ut supra dictum est. At in his casibus ut plurimum occurrit virum imbecillitas, cū signis cruditatis, morbi magnitudine, malignitate & celeritate. At ubi vires nec ad pugnā insurgunt, nec subito opprimuntur, sed sensim deficiunt, æger sensim & paulatim interibit.

32. Modus quidem solutionis omnium morborum salutarium est subito vel paulatim. Verū causa solutionis, est vel natura tantū, vel ars tantum, vel natura & ars. Nam leuiores intemperies sine vel cum materia; leues continua diuisiones, natura sola sanat: luxatas vero partes, sola ars reponit, item male figuratas partes restituit; quæ numero redundant, secari, quæ augentur, minuit. At grauiores intemperies & continui solustiones, ac morbos qui graui humorum vitio cœpiunt, ars simul & natura curat; ars, quatenus na-

tura

zura subseruit. Curat autem & ars & natura per contraria, ut in therapeusticis dicemus: quod si vero ad illum finem pertingere nequeant, incurabiles relinquunt.

33. In lethalibus morbis pro ratione morbi, partisq; affectae, & virium agri, modus mortis euenit, ut ex dictis constat. Communis causa morbis, est caloris nativi interitus: Interit tribus præcipue modis 1. extinctione à frigore 2. consumptione à nimia caliditate & siccitate, ab humorum acrimonia & malignitate, à qualitate venenata, à vehementissimis doloribus & similibus. 3. subita suffocatione ab humorum copia. Præterea in morbis ex humoribus non raro accedit, ut vires agri irritatae morbi violentia ad expulsionem morbi insurgant, & in ipso conatu deficiant, dissoluto vitali robore.

34. Fit crisis quando natura morbificam causam excutit & removet, quod tribus modis accidere potest, ut vult Hipp: lib. de humoribus: aut foras per cutem, sudore: aut in vorsum, alii deiectionibus, urinis, haemorrhagia &c. aut alia via, qua maximè expediat, scilicet transmissione à parte affecta ad partem ignobilem, vel ad cutem, ictero, maculis, pustulis, vel ad glandulas & articulos, abscessu, ut infra latius dicemus. Hi tres ad duo reducuntur, scilicet ad excretionem & translationem.

Modus cri-
sis. 35. Cum modo crisis coniunge viam. Modus crisis colligitur ex natura agri & morbi, cum quibus coniunge considerationem partis affectae, cause, naturæ agri, etatis, sexus, temporis anni, & similium. Via verò siue locus per quem excretio & ad quam translatio, estimatur ex inclinatione naturæ. Ac primum in crisiis natura expulsionem morbificæ materiæ semper molitur, quæ naturæ scopus est, sed cum id non succedat, vel ob virium debilitatem, & viarum angustiam, vel ob morbificæ materiæ contumaciam à parte affecta in partes ignobiles traducit.

36. Excretio autem alia obscura est per somnum ut in infantibus tantum, ob magnam calidi innati copiam corporisq; raritatem,
quod

quod facile humorem noxiūm concoquit & insensibiliter discutit:
alia manifesta per sudores, sanguinis profluum, urinas, vomitus,
deiectiones, hæmorrhoides, & in fæminis per menstrua.

37. Dependet quidem via excretionis & transmissionis, ex inclinazione naturæ: verum sub inclinazione naturæ, comprehenditur, non tantum impetus partis mittentis, unde principium motus, sed etiam conditio partis recipientis, & materie: semper autem natura cum ordinatè mouetur, à partibus robustioribus & præstantioribus ad debiliores & ignobiliores, per vias faciliores, vitiosam materiam traducit; quæ verò partes debiliores & viae faciliores, ex natura ægri estimatur. Nam in his qui podagra infestantur, humores ad articulos plerumq; decumbunt. Deinde sunt, qui per aluum, sudorem, hæmorrhogiam, aut aliam peculiarem viam, à morbis se liberare solent, conferente ad id certa naturæ proprietate, & viarum facilitate, quæ in alijs eodem modo affectis non reperiuntur. Præterea conferunt aliquid natura humoris; nam bilis, aut sanguis calidior, sua natura, sursum vergit: pituita & melancholia pondere suo deorsum magis decumbunt: Insuper non omnes excretiones, unicuiq; morbo conferunt, sed alia magis vel minus, proportione partis affectæ, ubi continetur materia morbifica.

38. In omni autem morbo ubi natura ordinate agit per vias faciliores, id est, proximas, & è directo, id quo à noxiūm est expellere tentat. Verum cum in alijs atq; alijs partibus materia morbosa sit collecta, sit ut una via expulsione omnibus utilis non sit: ita in ardente febri optima crisis per sudores sit, si materia in extimas partes fundatur, si in venis sit, crisis optima erit si inclinet natura in partes directas: In contrarias inclinare, malum; Veluti, in iecoris inflammatione, sanguinis profluum ex nare dextra, bonam, ex sinistra, malam crisi arguit.

39. Quare ut in pauca conferamus, excretio critica estimari debet, i. ex morbo, scilicet, ut forma morti congruat. Nam febris ardens soluitur vel sanguinis fluxu è naribus, vel post rigorem, sudore,

dore, alii fluxu aut vomitu 2. à loco affecto, veluti morbi in gibba
hepatis, renibus & vasis urinarijs, urinis, commode sanantur: at
in hepatitis sima, in mesenterio, circa ventrem, vomitu vel defec-
tionibus. 3. ab inclinatione humoris ut supra dictum est: 4. ab agri-
natura, cum qua coniunge etatem, tempus anni, regionem, & si-
milia: veluti, ante annum 30. naturis calidis vere, sanguinis pro-
fluuium per nares euenit; hycme, euacuatio per inferiora magis,
estate, per superiora. Præterea à sexu; quos morbos in maribus pro-
fluuium sanguinis è naribus iudicare solet, eos in fœminis aliquan-
do mensium profluuium. Tandem à consuetudine, quibus fluunt hæ-
morrhoides, euacuatio per hemorrhoides, exspectanda erit; His
coniunge quæ à similitudine aliorum sumuntur. Nam ubi alijs ferè
omnes, eodem tempore, ab eodem morbo, una euacuationis specie li-
berantur, eadem species speranda erit.

40. Instantis crisis modum aperiunt symptomata, illa porissi-
mum quæ perturbationem constituant, & euacuationes precedunt,
ac tantum signa vocantur: habent enim singulæ euacuationes certa
symptomata. Nam in ardentibus febris ubi instat hemorrhagia,
caput circa tempora & frontem grauatur, cum dolore extenso &
pulsante: facies & oculi rubent ac nares quoq; cum pruritu splendo-
res circa oculos versantur, lachrymæ inuoluntarie fluunt, pulsus
magni ad exteriora potius quam interiora sentiuntur, praecordia
sine dolore tenduntur cum anhelitus difficultate, ceruix dolet,
sternutationes in initio statim eueniunt: certius fore sanguinis pro-
fluuium sperabimus, si etas intra 30. annum sit, deinde morbi condi-
tio, tempus, consuetudo, & cetera consentiant, ac absint signa ul-
teriorius excretionis: nam fluxu sanguinis febres, ardentes inflamma-
tiones hepatis, lienis, phrenitides, aliquando pleuritides soluuntur.

41. Deinde crisi per vomitum appropinquare designant, totius
capitis dolor cum grauitate, visus hebes, tenebricosus, vertigines,
rigor una cum frigiditate partium quæ infra praecordia sunt, morsus
orificij ventriculi, fastidium, pulsus durus altus inqualis, labri
inferioris

inferioris agitatio cum saliuacopiosa tenui; aliquando delirium & difficilis respiratio. His signis praesentibus, si aliquid aeger biberit aut comederit, euomem. Verum coniecturam confirmant, si nulla adsint signa, quae aliam excretionem designant, & consentiant morbi natura & circumstantiae: nam vomitu bilioso, febres tertiana, & morbi in causa hepatis parte iudicantur; vomitu puruoso, febres quotidianæ.

42. Tertiò excretionem per sudorem imminere testantur, urina & aliud præter rationem suppressa, vehemens vigor suppressione consequens, præcipue si vomitus signa non adsint, delirium, præsertim accessione increcente, pulsus undosus, mollis, partes exteriores solito calidiores, & rubicundiores, vapor calidus copiosus per totum corpus, qui antea non aderat &c. Hoc modo iudicantur non raro febres ardentes, continue, ac intermitentes, inflammations viscerum &c.

43. Quartò excretio per deiectionem & urinas instare potissimum indicantur, quando aliarum excretionum per sudores vel superiora nota non apparent: nam ubi aeger riguit sine aliarum excretionum notis, & urina præter rationem suppressa sit, aliudq; paulo liberalius fluat, cum morsu & rugitu intestinalium, pulsus magni, præsertim in contractione sint, crisi per deiectiones alii instare iudicabis: contra, si aliud sit suppressa, & urina solito copiosior appareat, euacuationem per urinas. Verum lumborum dolor cum tensione & grauitate sine aliarum euacuationum notis, euacuationem per uterum vel hemorrhoides designat: in mulieribus autem per uterum, si tensio & dolor magis ad pubem vergat, in alijs vero quibus fluere solent, per hemorrhoides.

44. Quod si nulla adsint euacuationis signa, nec natura, nec humores, nec meatus excretioni comparata sint, transmissione ad partes debiliores & ignobiliores morbus iudicabitur. Verum in morbis, translatio humoris noxiij duplex esse solet, una à parte exteriori & ignobiliori, ad interiorem vel præstantiorem, alia contra, à

C 2 parte

parte præstantiori, & interiori, ad partem ignobiliorēm vel extre-
riorem, per vias directas & patentes; illa semper perniciosa est &
metastasis speciali nomine vocatur: bac morbi interdum indican-
tur & diadosis dicitur.

45. Transferuntur autem humores interdum minus manifestè
per partes interiores, plerūq; manifestè ad partes externas. Occul-
ta autem translatione, morbus unus in alium terminatur, ob partis
suscipientis debilitatem; ita apoplexia, translatione humoris ad ner-
uos in paralysin desinit. Manifesta verò translatio dupliciter fit, vel
ad unam partem, scilicet ad glandulas & articulos, unde absces-
sus, vel ad plures cutis partis, unde exanthemata, maculae, iete-
rus. Hæ translationes dependent non solum ab inclinatione natu-
ræ, & imbecillitate partis suscipientis, sed etiam à dispositione ma-
teriae. Nam morbi longi à crassioribus succis, abscessus potius faci-
unt: morbi breviores, à tenuibus succis pustulas, vel maculas. Ve-
rum materia pustularum magis crassa & acris est, quàm macula-
rum.

46. Omnis huiusmodi materiae translatio, critica propriè dici
non debet, sed quæ vi naturæ fit, & non sola morbi proritatione.
Nam critica translatio propriè fit vi naturæ, propellentis materi-
am morbificam ad partes ignobiliores, quod non una via & modo
fit, vi supra dictum est. Præcognoscitur via & modus ex constitu-
tione ægri, morbi natura, motu humorum, debilitate partium sus-
cipientium; nam naturis frigidis, senibus, & similibus, morbisq;
longioribus &c: abscessus magis contingit: deinde qui longo tempo-
re virinas tenues, & crudas mingunt, si alia, velut superstribus si-
gnasint, his abscessus exspectare oportet infra septum &c. Ad quas
partes potissimum abscedat humor, & expectandus erit abscessus o-
stendit debilitas, dolor, rubor, distensio, aliaq; accidentia circa
partem suscipientem; Verum ad partes inferiores, humores crassi-
ores, frigidioresq; magis abscedunt; ad superiores, humores calidio-
res, & tenuiores, quare in morbis magis diuturnis, ad inferiora,
in non

in non adeò diuturnis, ad superiora abscessus magis expectandi erunt.

47. Peculiariter abscessus circa aures, quos parotides appella-mus, instare demonstrant in morbis non adeò diuturnis, si post subi-tam anhelitus difficultatem mox succedat grauitas, dolorq; capitis, præcipue circa tempora, grauis somnus, surditas subito adueniens, tinnitus aurium, faciei rubor &c. Cateræ translationes morbis a-cutis magis accidunt.

48. Verum morbus regius oritur interdum in crisi, iecore ne-quaquam male affecto, ex lile crassa, transmissa per cutem, qualis bilis concoctionem ante septimum diem non admittit, proinde morbus regius criticè ante septimum diem non sit, sed symptomaticè: nam febres biliose quæ ante septimum diem terminantur, potius fluxu alui, sanguinis profluvio aut simili euacuatione iudicantur, quam transmissione ad cutem. Verum 7. die 9. 11. aut decimoqua-ta, morbus regius criticus estimatur, & non symptomaticus; nisi dextrum hypochondrium durum sit ab inflammatione schyrrho, aut obstructione iecoris & vasorum.

49. Maculae verò quales in pestilentialibus febribus apparent, ex unica quidem causa proueniunt, scilicet, ab humoribus putre-scentibus, & perniciosa qualitate inclinatis, sed diuersimode e-rumpunt: aliquando criticè, aliquando symptomaticè. Criticè au-rem cum in parte, vel in toto, superata putredine & qualitate praua correpta, ipsa natura corruptum humorem ab internis ad exter-na transmittit, die aliquo critico, & rum sequitur alleuiatio morbi: symptomaticè verò cum natura exstimulata copia aut malignitate, partem aliquam materiæ, ante concoctionem aut prauæ qualitatis correctionem ad exteriora transfert, id accidere potest, quo cunq; morbi tempore, rarissimè statim in initio, sepius post initium. Ve-rum cum nulla coctio præcedat, nec maligna qualitas superata sit, nullum ex maculis erumpentibus subsequitur leuamen, sed ob he-ctam illam maior debilitas, cum qua vigent abhuc causæ morbifi-

ca, quæ, si ante pugnem à natura domari non potuerunt, nunc ob
maiores debilitatem multò minus superari posse videntur. Quæ
est ratio in ictero & maculis, eadem in pustulis, quæ à materia ma-
gis crassa & acri.

50. His modis absolvitur crisis: an verò euacuatio & translatio
laudabilis & legitima sit, & crisis perfecta fidag, ex signis comi-
tantibus & consequentibus appareat. Signa comitantia, sumuntur
ab excretionis vel translationis qualitate, quantitate, tempore,
modo, via, & facilitate. Signa consequentia, sumuntur à fun-
ctionibus agri, ab excretis, à qualitate corporis post crisis.

51. Ac primum perfecta fidag, crisis estimatur, si materia mor-
bifica concocta excernatur, & talia purgentur, qualia oportet.
Nam auctore Hipp. i. aph. eiusmodi purgatio confert, & agri facile
ferunt: Secundo, si oportuno tempore fiat, scilicet apparentibus si-
gnis concoctionis, die bono critico, qui ab indice prius denunciatus
fuit. Nam manente cruditate, nulla est spes bona crisis: deinde,
crisis quæ diebus non criticis contingit, nec ab indice prius denun-
ciata sunt, suspectæ semper sunt, & plerumq, vel recidivas, vel
mortem inferunt: Tertiò si debita quantitate, id est, non parum
nec nimis copiosum euacuetur, sed morbo proportionatum: nam ni-
hil paucum criticum est, ut sudatiunculae, vomitiones exiguae &c.
nec euacuationes, immodicæ tutæ sunt. Paucitas autem semper
materia malignitatem & conutaciam & naturæ irritatæ, & fa-
tigantis debilitatem aut exolutionem, vel meatus angustiam
arguit, Deinde quæ relinquuntur in morbis recidivas facere con-
sueverunt; Immodicæ verò euacuationes, vires dissoluunt. Quaribz
si debito modo & via euacuatio & translatio contingat: modus au-
tem congruens est confertim & citè, non paulatim & tarde: via
debita est per partes ignobiliores & directas & meatus patentes, ut
supra dictum est.

52. Eadem ex signis crisis consequentibus dijudicantur. nam
post crisis perfectam, fidag, redit agro viuidus color, naturalis
forma.

forma, pulsus, excrements, & omnes naturales actiones, in culpa-
tè obit. & corpus pro refectionis modo robatur: contraria infidam
crisis denunciat, qua recidivam minatur.

53. Tempus futurae crisis ea omnia aperiunt quæ longitudinem
morbi, tempusq; status: nam quò morbus brevior, eò crisis propin-
quior, & bona crisis in statu semper euénit; tempusq; status colligi-
tur, ut in prima disputatione dictum est, ex morbi natura, & in-
cremento symptomatum. Deinde ex tempore anni, natura, aetate,
laborantis, & similibus: Tertio in ijs qui circuitus accessionum ha-
bent, ex circuitum anticiparione, incremento, & magnitudine:
Quarto ex signis concoctionis quæ post apparentibus annumerantur,
bis addi poterunt obseruatio dierum tam criticorum, quam indi-
cantium, & consideratio virium agri.

54. Nam vires validæ in perniciose affectibus nisi irritentur cri-
sis tardant, in salutaribus, concitant: conirarium euénit ubi vi-
res debiles sunt. Verum vires validæ, irritatae morbi violentia, ex
acri calidaq; materia, summum morbi vigorem non expectant, sed
ante statum crises accelerant. Nam facultas expultrix, quæ crisis
causa est, diu vehementiam illam sustinere nequit, sed ad pugnam
intempestiuè cogitur.

55. Primum & maximum bonæ crisis instantis indicium, sunt
concoctiones præcipue in urinis, secundum, quod ab aliquo die indi-
catorio prius indicetur, cui annexa est diei indicantis potentia. ut
supra dictum est. Indicatur quidem dies criticus à suo quaternario
antecedente una cum signis quæ morum, magnitudinem morbi de-
monstrant. Semper autem morbus, qui subito crisis habet, peracu-
tus est: nam exquisitissimè peracutus, primo quaternario indica-
tur, peracutus tantum, primo sepienario: simpliciter acutus, die
decimoquarto, non simpliciter acutus, 20: acutus cù memπωεως,
ad 40. usq; diem interdum extenditur: post 40. diem morbi longi
terminantur.

56. Crisis ex magnitudine morbi potissimum estimatur, tempus
crisis

Vnde di-
gnoscitur
tempus so-
lutionis
morbi.

crisis ex motu ut supra dictum est. Igitur, ubi primo statim die signa omnia secura apparent, morbus primo quaternario finietur, parvus, simplici solutione, magnus ut synochus, crisi. Verum in tertianis continuis, si morbus magnus sit celerrimeq; mouetur, tertio die, sin non adeo magnus nec velox, quinto die crisis accidere solet; nam continua tertiana que in accessionib; crisi habent, die tertio, vel quinto finiuntur & tunc interdū quarto iudicentur, tamen id evenit ratione illius accessionis que tertio die fit. Morbi rāmen ex sanguinis vicio, (ut synochus) magis quarto die finiuntur. Hi omnes exquisitè peracuti discuntur, & primo quaternario continentur.

57. At si primo die nec secundo concoctionis signa apparent, morbus exquisitè peracutus non erit, nec primo quaternario aeger liberabitur: sed si quarto die primum in urinis nubecula rubra, vel hypostasis alba & equalis appareat, & morbus velox magnusq; sit, septimo crisis eveniet, nisi interim error accidat: at si adeo velox non sit & error incidat, in nonum diem aliquando crisis transferitur: ubi verò septimo die concoctionis signa apparent, & morbus simul magnus & velox sit, undecimo potius quam 14. crisis exspectanda erit: at si minor tardiorq; decimoquarto magis.

58. Eadem est ratio in ceteris quaternarijs & septenarijs. In lethali bus morbis, singulis quaternarijs & septenarijs signa in urinis, pulsibus &c: obseruanda erant; quemadmodum enim morbi qui omnia bona signa praefecerunt, primo quaternario soluuntur, ita qui omnia mala, ad mortem ducunt: eademq; in ceteris ratio. Pessima autem signa sunt, urinæ albæ tenues in acutis: item urinæ abræ tenues in statu: urinæ nigrae sine admixtione humoris nigri, urine pinguis cum contentis pinguibus, oleaceis: urina cum nigra hypostasi, aspera, inæquali &c: ut priori disputatione dictum est.

59. Verum in morbis lethali bus non raro mutationes illæ, quæ septenarijs expectandæ essent, intercidentibus diebus contingunt, vel ob errorem aliquem, vel ob morbi violentiam, quam natura tam diu

eadem siue sustinere nequit, vel ob vim accessionis alicuius irritantis
naturam ad expulsionem unde fit, ut crisis ad mortem quarto die in-
dicata, non sequatur septimo, sed sexto. Nam perniciosi morbi ac-
cessiones saepè habent diebus paribus, aut malis criticis. Semper au-
tem crisis die illaudabili cum signis bonis, recidiuam minatur, cum
signis malis mortem.

60. In complicatis affectibus signa cuiusq; simplicis morbi disting-
guenda & inter se conferenda erunt: deinde si duo sint, consideran-
dum, uter prius finietur, ex utriusq; specie magitudine, motu, ex
viribus ægri, & similibus ut iam dictum est. Nam plerumq; unus
affectus definit manente alio, aliquando natura unum superat, ab
alio superatur. Semper autem in ijs affectibus, quorum unus alte-
rius causa est, aut alterum fouet, is prius soluitur, qui causæ ratio-
nem habet, veluti, obstructio, si febris causa sit, prius tollitur quam
febris, item in paribus exulceratis, intemperies, dolor, tumor, pri-
us tollenda, quam ulcus curari queat.

61. In initio difficile est praesentire tempus crisis, item tempus
salutis vel mortis, verum à primo die, pro vi singuli quaternarij ad-
duntur, obseruare oportet signa virium morbi, & naturæ, motumq;
morbi, & non latebit tempus crisis nec tempus soluionis morbi ad
salutem vel mortem. Nam diebus decretorij iudicaciones fiunt, Vnde di-
& ad salutem & mortem, tempus vero salutis & mortis, ex compa- gnoscitur
ratione virium ægri & morbi estimatur, & tempore status, si e-
nim morbus & natura quasi pares in conflitu pugnant, plus tem- mortis.
poris erit ad alteruarius victoriam. Sin magnus sit excessus, citò
ei victoria erit, quæ viribus superior est: quare exiguos morbos, qui
cum signis non malis eueniunt, natura cisisimè vincit, à maximis
vero cum signis difficilimis, celerrimè euincitur, eaq; victoria e-
videntibus notis, de quibus in priori disputacione, per singulos qua-
ternarios estimatur.

62. Quicunqs sanantur, omnia vniuersalia morbi tempora per-
transire debent, moriturus, ad vniuersalis declinationis tempus

D propri^e

propriè peruenire non potest, non tamen ad statum necessariò perueniat, nam euenit mors, cum, vel sine crisi, non raro in augmento, aliquando in principio morbi: sine crisi mors in principij s maxime euenit, ubi natura plurimum à morbo superatur. Deinde in augmen-
to, si nulla adsint signa concoctionis ac morbus magnus malignus sit, celeriterq; mouetur. Igitur, ut tempus salutis præcognoscamus, scire oportet tempus statu, & an vires aeger valeant statum superare; nam superato statu; ut alibi dictum est, nemo morbi illius ratione interijt, nisi aliis succedat aut error committatur.

63. Tempus verò mortis prædicti poterit, obseruando, quantum morbus naturam superat, & quo tempore aeger grauius afficitur: Item in morbis qui circuitus accessionum habent, quo tempore insultus recurrit, an quotidie, an alternis diebus, aut alio modo; item, qua hora. Nam in lethalibus morbis, ubi magnus excessus est, mors citò superuenit, sin excessus adeò magnus non sit, & vires sufficient, eo die morietur, quo accessio erit, ac illa nocte vel die quæ se ipso magis intollerans est: sin vires aliquo modo resistant, differri adhuc poterit ad unum vel alterum diem, pro virium robe-
re. Quare in hac coniectura, solertia Medici imprimis conspicitur.

64. Horam diei vel noctis non difficulter præuidere poteris, si obseruaueris in quibus morbis principia particularium accessionum mortem afferre solent, in quibus vigor & declinatio ut supra dictum est. Item si memineris, quo tempore diei vel noctis, particu-
laris cuiusq; exacerbationis grauissima, maximeq; lethalia signa superuenire solent, nam illa hora maxime morietur, quâ aeger lan-
guidior factus fuerit & grauissima symptomata superuenerint: In-
stantis verò mortis signa sunt, pulsus formicans, deficiens, grauissima animi deliquia, maxima respirationis difficultas, frigida ex-
spiratio per os & nares, & cetera lethalia signa, de quibus in priori
disputatione.

65. Nonnulli ad predictiones astrologicas configuant, & indi-
cia temporis mortis, ex remotioribus causis, astris nimurum su-
munt,

munt, que medice considerationis non sunt. Probabile quidem
videtur agrum eo tempore potissimum mori, quo astra maximè ad-
uersantur. Verbi gratia. Si in primo ortu ager planetas infestos
& lethales in geminis habuerit, morietur aut periclitabitur, ubi
luna aut aliquis maleficus planeta signum geminorum, aut qua-
dratum, vel oppositum in sexta vel octava domo occupane-
rit. Verum certior & euidentior illa coniectura
semper est, qua ex proximis & manifestis
causis colligitur.

FINIS.

Errata nonnulla disputationum Pathologicarum.

Disp. prim. th. 13. lin. 2. pro procreandi leg. propriam. linea 3. ibid. pro
necessaria. leg. natura. thes. 16. lin. 1. pro separare. leg. separantur. thes. 28. li-
nea 1. pro plures enim, lege, plures non. thes. 34. linea 2. pro due lege varie.
pro ad communissima, lege ad duo communissima. thes. 38. linea 4. pro
έπειρον οὐ πιστόντα leg. επειρηνη οὐ πιστόντα. thes. 46. lin. 1.
pro ac proinde, lege primum autem. thes. 50. lin. 1. pro & longus, leg. & ma-
gnus. thes. 55. lin. 2. pro motiones causarum uniuersalium sunt, leg. motiones
causarum aliæ uniuersales sunt.

Disp. tertia pag. 2. in tit. pro specie lege specie. thes. 7. lin. vlt. pro cadas le-
ge calidas. thes. 21. lin. 1. pro influxione leg. in fluxione. th. 23. lin. 3. dele pars.
thes. 29. lin. 8. dele ubi.

Disp. quarta thes. 42. lin. 1. pro in contentis leg. in continentibus.

Disp. sexta thes. 21. lin. 6. pro trahentibus leg. contrahentibus.

Disp. Octava thes. 4. lin. 7. pro accedit, leg. accidit. thes. 8. lin. 1. redun-
dat ita. thes. 12. lin. 1. pro quantitatem leg. qualitatem. item pro quanao lege
quando. thes. 18. lin. 1. pro alteatricem leg. alteratricem. thes. 24. lin. 7. pro
quavis lege quibus.

Disp. Nona thes. 1. lin. 3. pro generis leg. generib. thes. 3. lin. 5. pro referant
leg. referantur. thes. 5. lin. penult. pro valentibus leg. valentis. thes. 7. lin. penul.
pro falsa leg. salsa. thes. 12. lin. 4. pro prr leg. propellere. thes. 21. lin. vlt. leg. in
intestinis. thes. 28. in margine lege suppressionis, thes. 29. lin. 7. leg. tuberculo.
thes. 35.

thes.35.lin.4.pro parstaatis leg.parastatis. thes.38.lin.penul.pro aliena quam
titas leg.aliena qualitas. thes.52.lin.2.pro oculia leg.obuia, pro recedit lege
recedunt, pro impellitur lege impelluntur. thes.53.lin.antepenult.pro causa
lege cause.

Disput. de signis thes.1. lin. 2. leg.cognitione.

Disput. vlt.in dedicat. prometimini lege metiri. In carmine post. in
principio hexametri vlt. pro omnia lege omnia.

Sunt & alia nonnulla quæ lector per se facile
corrigere poterit.



99 A 6903

(Nr. 24
richt
aufgerichtet)

ULB Halle
002 636 220



3

(25 Handschrift)
(9)

V077

TA-OL

erit ad suffocationem

Operari certe prima


qui in hunc nubem committit videntur

Ex parte operis. etiam Tunc teneat.

notificari non in
universitate in unius
ipsius facta est ad
comitatu[m] eiusdem
Lobam. oblatione ut
mælop ponit. etiam quoniam. s. m. u.
nd ponit. non invenit. illi. et
nib[us]. etiam cum
procedit. etiam p[ro]cessu. Lobam
up[er] modum p[ro]p[ter]a. etiam quoniam
etiam p[ro]p[ter]a. etiam quoniam
etiam p[ro]p[ter]a. etiam quoniam
od. non nisi. s. alibi
Lobam. etiam quoniam
m. etiam quoniam. etiam quoniam
l[et]ib[us]. etiam quoniam
etiam quoniam. etiam quoniam
etiam quoniam. etiam quoniam
etiam quoniam. etiam quoniam

Farbkarte #13

B.I.G.



12.
TIO POSTERIOR,
DE
SAGIIS,
NS DOCTRINAM
TEMPORE SALVTIS
mortis in ægris,

Ad quam
A. G.

IDIO DVNCANI
LOSOPHIAE ET MED-
s, ET IN ILLVSTRI IVLIA
blici, in auditorio maioris
respondebit die xix.

Iulij,

MVS GROSS,
islawiensis Silesius.



ELMAESTADII
phica hæredum IACOBI LVCIL
M. D. XCVIII.